

Versibus hexametris scriptum

Pavo defessus quondam ad postes alienos
venit, marmoreum atque rogavit ut acciperetur
ultra limen. "Longum iter est mihi perficiendum,
hic utinam detur paulum requiescere!" dixit.
A domino (qui simius est) dein ianua aperta est,
cumque is caeruleum aspexit pavonem ibi stantem,
summo iussit eum hospitio sub tecta venire:
"Intra" inquit, "dulcissime, cena moxque frueris!
Lectum pulvinum mollemque tibi dare possum."
At non dicit avis se gratiam habere superba.
Intravit post se vestigia sordida linquens.
Cum cenabant, ille epulas contemnere coepit.
Despexit quod simius obtulerat quoque lectum.
Pavo tandem sole oriente ingratus abivit.
Post aliquot menses, (ales turpissima) vultur
ianuam eandem pulsat. "Non est" ait "mihi tectum.
Mox cadet imber! Me sine sub tua tecta venire!"
Deque fenestra dein despexit simius, atque
"Illum admittere nolo quod maculatus ubique est",
ait. Precibus sed tandem est motus vulturis ille.
Descendit villae atque fores lente patefecit.
"Hic remanere potes" dixit, "quia non tibi tectum est."
Et vultur gratissimus: "Es probus atque benignus!
Pauper sum; non est tibi maxima cena paranda.
Quidquid tu pones in mensa, care, placebit."

Vultur erat, quamquam turpissimus, optimus hospes,
et pavo, qui forma pulcher erat, malus hospes.

Multi forma decipiuntur sicut simius ille!